...nes.

...hristina Constantia.

Tretteri Matthiae Casimiri: Novus Archimedes
Amor ad imitationem sociati in coelis
Pegasi cum Aquario.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0003024

NOVVS ARCHIMEDES
AMOR
Ad imitationem Sociati in Cœlis
PEGASI CVM AQVARIO,
WIELOPOLSCIANVM SONIPEDEM
Cum Gentilitijs
COMITVM IN LIPTOW ET ORAWA FLVVIIS
pulchro artificio iungens.
Circa Nuptialem Pompam.
ILLVSTRISSIMI DOMINI,
D. JOANNIS
DE PIESKOWA SKAŁA
WIELOPOLSKI.
Regni Dapiferi, Biecensis, Bochensis, &c. &c.
CAPITANEI.
Ac ILLVSTRISSIMAE
CHRISTINAE CONSTANTIAE
COMITISSÆ IN LIPTOW ET ORAWA,
KOMOROWSKA.



Ad Fortunatum tantorum Luminum nexum
PRÆVISVS.
Et per Optimæ Spei Puerum
MATTHIAM CASIMIRVM TRETERVM,
Communi Patriæ Solatio
PRÆSENTATVS.
Anno Domini, M. DC. LXV. Die 4. Ianuarij.

CRACOVIÆ,
In Officina apud Hæredes Stanislai Bertut: Anno Dñi, 1665.

IN STEMMA ILLVSTRISSIMORVM SPONSORVM.



Semper Equos Currusq; suos Sol æquore tingit
Et profert medijs Munera Lucis Aquis
Sic TRINO Sociatus EQVVS WIELOPOLSCIVS AMNI
LVMEN ab adiuncto FLVMINE dat Patriæ.

AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM

D. IOANNEM

De Pieskowa Skáłá

WIELOPOLSKI,

Regni Dapiferum, Biecensem, Bochnensem &c.

CAPITANEVM.

PRÆFATIO.



Ommunis lætitiæ sensus, qui ad Festiuos Hymænei Tui plausus ILLVSTRISSIME DOMINE *uniuersam Sarmatiam promiscuâ hilaritate demulsit, meas quoq; cunas attigit; & vt toti constaret Orbi, cuncta* TVA *ac* ILLVSTRISSIMÆ SPONSÆ *Decora, quæ vno Amoris catenantur fœdere, solitum mundi supergredi ordinem, Infantiam meam præter Naturæ Ordinem fecit esse disertam. Quidni enim compeditam intra mutos silentij nexus linguam, in laudes* TVAS *resoluerem? qui campos pæne ipsos Poloniæ suæ cognomines, ad tam Fortunati Connubij aspectum, resolutos in vocalis lætitiæ pensa contueor: Quidni astricta ætatis vitio ora, ad præconia* ILLVSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ *tenderem? qui iam inde à primo in terras exortu, suauissimis Inclytæ Domus* TVÆ *Muneribus, felicius quam olim Plato Apum fauis, aut Midas stipendiarijs formicarum granis, eadem imbuta fero. Eminuit* ILLVSTRISSIMI PARENTIS TVI *erga me Fauor, qui euolutum in Orbem & hunc mortalitatis puluerem, illâ manu quâ*

Regni momenta librat, Cælo & Immortalitati initiauit: Dum ad vitalem Regenerantis vndæ Fontem, meæ salutis Fideiussor, & Maiore titulo Patronus extitit, quam Patrinus. Exui tunc suffragante ILLVSTRISSIMI PARENTIS TVI *Manu, inducta à communi hominum hoste, peccati vincula; quàm æquum est vt inter Coniugales* FILIALIS DEXTRÆ *nexus, exuam Naturæ ligamina? & infantili balbutie Gaudijs Encomiisq;* TVIS *adstrepam. Nec verò deprimi putet* ILLVSTRISSIMA DOMINATIO TVA *Laudum suarum molem, quod ad rudes vnius Infantis voces, arctata restringatur; nemo in tantâ Gloriæ* TVÆ *Gestorumq; abundantiâ, alium se agnoscet quam infantem; & quantamcunque Tullij vel Demosthenis facundiam, hîc in puerilem degenerare balbutiem, ac siccato diserti excursus torrente, pressâ nimiùm venâ labi mirabitur. Certè si alio nomine fauentes* ILLVSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ *oculos, Puerilis suada non merebitur; saltem cognatus Pueris Candor eandem venustare poterit, quem simplex & nullo adhuc fuco aut simulatione tinctus præfert Genius. Maiestatem Eloquentiæ, assurgentemq; per ingentia Meritorum* ILLVSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ *fastigia cothurnum, nemo hîc requirat; vbi sono simplici Infantilis Gratitudo, sibi canit, & Festiuæ nuptiarum iucunditati. Cæterum qui nunc supra vires in* TVIS *Laudibus resonare audeo, posteaquam maior ætas copiam dederit, in* TVIS *obsequijs supra vires attentaturum me obligo.*

Casimiriæ ad Cracouiam 1664. 19. Decembris.

Illustrissimæ Dominationis Tuæ

Cliens

MATTHIAS CASIMIRVS TRETERVS.

EPITHALAMICA
ORATIO.

Ex Felici Connubio
Felicitatem Præsagiens.



Æpius mihi per Cœlestium Orbium spectacula erranti, ac in illa Æthereorum Ignium contemplandâ serie altius defixo, admirationem exciuit præposterus veterum sublimioris sapientiæ Mystarum Ordo, quêis magis libuit, tantam Cœli pulchritudinem ad terrestris speciei habitum effingere, & terrenis diuersorum Animalium vultibus induere, quam è Cœlo petitas rerum formas, luteæ huic moli adaptare. Quorsum enim ab infimo Orbe effigies trahat Cœlum, quod eiusdem vicissitudines suo complectitur & voluit Orbe? Quorsum accersitas è terris non modo Belluarum, sed Monstrorum etiam ostentet Imagines, quod longè nobiliore Artificis Dei excultum dote, ipsius etiam materiæ, digniorem venditat portionem? Itane Licentiosa Antiquitas, quemadmodum Superos ac Numina, hominum gestu procudit & affectu, Sic Numinum etiam Sedem ac Sidera, in deriuatas à terrâ facies, flectere Ius fasque habuit? vt quæ reptantem Cretæ per cunas Iouem, excussam obstetricantis Asciæ ictu Pallada, Despumatam æstu pelagi Venerem, cæterosque Deastros indignâ plerumque fusos vulgauit origine, Cœlum quoque & purissimos illos ætheris tractus, nimis audaci terrestrium formarum appressione taminaret. Verum detur non modo venia, sed tacita insuper reuerentia, erudito veteris sapientiæ Senio; quod gnarum terrena cuncta illo impetu agi, subiectasque Mundi huius Sortes non nisi Siderum iactu duci ac sinuari;

ſinuari; meritò cum tot Effigiebus in Ius Cœli transſcripſit Terram, tanquam eo ipſo quod Cœlo mereret vimque eius combiberet, Cœlum promeritam. Scitum reconditi oris Mineruæ Arcanum eſt, eo inter ſe nexu conſpirare Vniuerſi molem, vt altioris Ordinis membra minorum virtutibus tumeant, & ſi quæ Decora, viliorem Mundi venuſtant Compagem, ea multò gratiore comptu, pulchritudinem ſuam in Superioribus vibrent: Ita Angelicos Spiritus (mortali atteſtante Angelo D. Thomâ.) Hierarchiæ ſuæ Eminentia, in perfectionis eminentiam attollit, & cum Naturæ excellentioris dignitate, Vires ſimul ac Priuilegia, infra poſitorum fæcundâ auxeſi aceruat: Ita Terræ quoque Dotes Cœlo nobilius hærent, ac in illo Siderum repoſitæ Armario, eatenus aſſeruantur, vt per larga virtutum Defluuia, Terris redonentur. Atque hinc eſt quod Terrena hæc Moles, à Cœli nutu pendula, vices ſuas eidem debet; quia nimirum, Quidquid Molitor Vniuerſi DEVS ornamenti Terris inſeuit, Id omne Cœlum amico fotu explicat; & cum Eminentius perfectiones Terræ complectatur, eaſdem felici irriguo complet ac maturat. Sed enim fuerit hactenus Cœli Gloria, Terræ Prærogatiuas (locuplete licet refundantur augmento) rapuiſſe; Fuerit Gloria totius Olympi auguſta propylæa, ambitioſâ terreſtrium Imaginum oſtentatione poliſſe: Contrarium hodie Amoris artificium eſt, quod Cœlos Terris tansdidit, & Fortunatas Magnorum Siderum CONIVNCTIONES, nouo ſed optato commento, intra POLONÆ SPHÆRÆ Polos digeſſit. En Ales ille PEGASVS, Qui volucribus per Cœlum plaudens pennis, hactenus ad Perennia AQVARII FLVMINA, Martiam comebat iubam, SARMATICIS hodie inerrans Campis, Feliciores inuenit Lymphas; dum in Gentilitijs ILLVSTRISSIMI IOANNIS de PIESKOWA SKALA WIELOPOLSKI REGNI DAPIFERI elatus Inſignibus, Coniugali paſſu ad TERGEMINVM COMITVM in LIPTOW & ORAWA FLVMEN properauit. O nimium ſagax hîc ſaltem non cæci Amoris Ingenium! quod Magnam ſui portionem Cœlo detrahere, & Nobiliſſima hæc Signa, Votiuo nexu deuincta, SARMATICO HEMISPHÆRIO illigare eualuit. Næ hict deinceps

inceps

inceps attonitus Syracusani senis inuento Orbis, tanta Cælorum spatia exiguo in Orbe felici temeritate mentientis; Nobilius Archimedem Amor egit, dum ad Æmulam Cœli Inuidiam potissima eiusdem Astra PEGASVM nempe, ac TERNA voluentem FLVMINA AQVARIVM sub vnâ æterni fœderis Ecliptica Terris immisit. Date plausum O quicunque Festiuis hisce Amoris interestis Circensibus Spectatores; WIELOPOLSCIANVS SONIPES Metam Votorum attigit, dum Iugali impetu ad Inclytas KOMOROVIORVM actus VNDAS, Spes iam Solatiaque sua in Optatis Tantorum Fluminum Ripis deposuit. At Nos qui Fortunatas has Siderationes ORBE POLONO coalescere sentimus, quænam inde Vota decerpere? quas impressiones, fatidicâ mente Diuinare debeamus? Equidem Vtrosque PEGASI & AQVARII Ortus, benigno prodire Sidere, multaque terris donorum missilia inspergere asseruit, Magnus ille Cœlestium Interpres MANILIVS, in Augusti Cæsaris amicitiam, astrorum peritiâ insertus; dum nascentem PEGASVM *Martium robur subiectis aspirare*, AQVARIVM verò, *in Virtutis speciem animos componere*, Phæbo dictante ad eiusdem plectra cecinit: De PEGASO quidem inquiens. cum.

Signatum Terræ lumen fulgebit, & Orbi
Aerius nascetur Equus cæloque volabit,
Velocesq; dabit sub tali tempore partus.
Hic glomerabit Equo Gyros, dorsoque superbus
Ardua Bella geret, Rector cum milite mistus.

De Aquario Verò.

Quod si quem Sanctumq; Velis Castumq; probumq;
Hic tibi nascetur cum Primus Aquarius exit.

ET quid non iam certâ spe occupes SARMATIA? Quæ Nouum hunc Patriorum Luminum Nexum, ad Cœli normam compositum, Victoriosi Martis, & certæ Sanctitatis Prænuntium simul ac Vadem tenes? Attolle fessum diuturno Malorum pondere caput, & asperatas hactenus tristibus sulcis genas, sereno Vigore exporrige: Amica Tibi ad Pronubas faces, æterno Amoris fædere socian-

ſociantur Aſtra, & longam Triumphalis Sanctæq; Prolis pompam, illo ipſo, conſpirantium in Amoris leges ſplendorum, depingunt concurſu. Eam vt plenius, quiuis ex hac Felicis Connubij, quam MANILIVS quondam ex Cœli legat facie, Siſtam non dubium Horoſcopantis Fortunæ Syſtema, ad Tantorum Siderum CONIVNCTIONEM notatum; Cui Vos non tam oculos quæſo quam laxatos in lætitiam Animos aduertite, & naſcentis communi Regno Proſperitatis Veſtigia, in hoc quem Architectus Amor combinat Magnorum Familiarum Vinculo, admiratione pariter adorationeq; excipite.



TErrarum Vices pleriq; ijs, quæ ſupremo Ioui cum Tabulis adeſſe creduntur Fatis, inciſaſq; Æterno Adamanti omnium leges, ac reuolutiones exhibent, Alij Cælo & his quas ſupernus ille Circulus deſcribit metis imputant & adſcribunt: Vnde in contraria ſciſſi conatus; Prioribus quidem cum omnia Fato permittunt, nec vlla arte perrumpi deſtinatum rerum Ordinem putant, in Fatalem neglectum ſegni torpore reſolutis; Hiſce verò qui in Cœli velut Codice Mundi inferioris ſeriem deſcriptam volunt, latereq; ibidem Origines & Formas omnium vulgant, ad noxiam Curioſitatem, inconſulto præſciendi deſiderio elatis. Cæterum& Fatorum tenor, non ſuopte fluxu, ſed Numinis quod Fatis legem ponit, actus arbitrio, deflexo ad inferiorum conſortia, Cauſaſq; ſecundas rigore pertexitur; Et Cœli impetus, ita terrena, circumeundo rotat, vt latentes duntaxat rerum ignicu- los excitet, primaq; lineamenta, ac rudes gerendorum notas deſignet, non ſummam Operis ſibi vendicet vel abſoluat. Optimè ſanè proprium Mundiq; ſtatum aptârit, qui inter Fati ac Cœli Orbes libratus, nec eorum quæ Numen æternâ merſit caligine Decretorum præfractè tenax Scrutator, nec Cœleſtium, quæ occulto Mortalia raptant Volumine, nimium refugus aut temptor, Fatis ſedulam manum, Cælis verò ſagacem oculum accommodarit:

modârit: Tunc enim Sidera optatos euentus fortunatò parturiunt, quando obſtetricantem hominum Dextram, Fatorum Deſtinatis, ſuis influxibus adeſſe ſentiunt. Et priuata quidem Fortuna, è priuatâ cuiuſq; prodiens Officinâ, ſicut humanam induſtriam ſeu vecordiam, proſpero beat partu, vel caſtigat abortu, Ità prouentum penuriamq; ſui, ijſdem Indicijs è priuatâ nempe deducit chiromantiâ; At enim Publica Regnorum Salus, quoniam plures reſpicit & conſequitur Manus, nec aliter Purpuratis Regnantium in Faſcijs educatur, niſi baiulis Magnorum Procerum dextris foueatur; idcirco Omina illius non minus ex Inclytarum Familiarum, quam ſiderum tabulis ac lineis promenda veniunt. Fruſtra quiſpiam explorandis Imperiorum intentus Arcanis, àbditos Cælorum ſolicitet receſſus, aut cognatum ſingulis Regionibus prætentet genium; Vt Imperiorum Caſus aut Exitus partim ex inſito gentibus Spiritu ac impetu, velut ex arteriæ pulſu veſtiget, partim ex Genethliaco Siderum afflatu, ſuperſtitioſâ diuinatione decerpat: Compendio ad noſcendas Regnorum vices ducimur, ſi quænam Manus eorum arbitretur ſortes ſpectamus. Profectò vulgare nil exit, quod IOVE Sati verſant Æaci; & certiores Prænestinis ſortibus ducuntur Calculi, qui ad ſuffragia Regnorum & Regnantium ex Nobilium Familiarum ducuntur vrnâ. Felix merito ſuo Reſpublica! pro cuius commodis non tam Æther diſpoſitis per cohortes ſupernorum ignium militat excubijs, quam domeſtica ſidera, & vernaculi ſplendores, Centoculum induti Argum, vigili obtutu in ſtatione conſiſtunt. Felix! quæ magis ad viros & animos, quam opes copiaſq; attenta, fertilitatem ſuam non ſoli & glebæ ſed generoſæ ſtirpis fructibus metitur; Maioremq; computat Cenſum, quem Nobilis Heroum ſcaturigo, indefeſsâ inclyti ſanguinis fundit venâ, quam eum quem turgidi Auro fluuij, reſtagnanteſq; diuite ſabulo voluunt alueì. Æſtuet vt lubet Zopyri deſiderio, magis in ſua ardeſcens lucra Darius; hæreat in Epheſtione, amore faſcinatus Alexander: Optet in Amicum Damonis & Pythiæ tranſcribi cenſum ſiculorum Tyrannus Dyoniſius; Priuata illa ex Regnantium magis, quam Regnorum vſu concepta vota ſunt,

ad lucri vel cæci affectus, non publici commodi libel
lam exacta; Quiſquis æternitatem Regnis & Rebuspub: moli
tur aut vouet, in Heroum ſanguine eandem plantet; cer
tus non alias Germen hoc in vberes proſperitatis fru-
ctus erupturum, niſi ab illo rore vigorem mutuetur.
Quantum profuit Romæ Fabios genuiſſe, per mortes &
fuſum ſanguinem in vitam Patriæ ſylueſcentes? næue
Roma periret, ter centum vnâ die perire auſos? Quan-
tum profuit Decios Patrem & Filium habuiſſe dicam fe-
licius an amiſiſſe? quorum vterque inclinatas & nutan-
tes, res acieſque Romanas, deuoto pro communi ſalute
capite ſuſtinuit, & quaſi Roma ſtare niſi cadentibus De-
ciis non poſſet, in fatum ac hæreditariam mortem vltro
irruit. Quid memorem Scipiones, Fatalia Vrbi Nomi-
na, ad fulciendam eiuſdem integritatem, per Æmularum,
Carthaginis ac Numantiæ Vrbium, immo Regnorum rui-
nas nata? ô quoties Caput illud Orbis, vltimo iam ad-
motum caſui, terras ferali pondere adflixiſſet, niſi in hoc
Scipionum fulcrum inclinaſſet! Hæ ſunt baſes, quibus
Magnum Imperij, in illâ rotantis Fortunæ vertigine, ni-
titur, & à præcipitio ſeruatur corpus; Hæc ex Inclytis
Ciuium pectoribus ducta Mænia, quorum incinctu, ſecu-
ra perennat Sparta; Hi Poli & Cardines, qui Regno-
rum Orbes, næ quo Caſuum deerrent impulſu, intra cer-
tas librant ac defigunt Periodos. Huc animos & vota
ô quicunque gentium Bona vago per aera obtutu ſcruta-
mini, & Imperiorum Harmoniam ad Cœlorum nutus
ſcrupuloſâ temperie diſpenſatis; Patent aliæ Veſtigandis
in commune ſolatijs Sphæræ, illæ nimirum, quas reuolu-
tus per Ætates ac Virtutes, Heroum circumit & ſignat
ſanguis. Hic nouus ſeſe, non belluarum ſed Virorum fe-
rax aperit Zodiacus; Hîc per diuerſos Proſapiarum Cy-
clos ac Deferentes, in vnam aliquam delati Domum
Planetæ, miras pariunt conuerſiones, & quot generoſæ
ſtirpis decora, tot propitia Terris euoluunt Aſtra. Quan-
tos hodie & quam beatos Sarmatiæ accendit ignes, con-
ſpirans in Vnam Connubij Fortunam, Wielopolscio-
rvm ac Comitvm in Liptow & Orawa Pulchri-
tudo? Quam bono Felicitatis auctoramento Spes Publi-
cas deli-

cas delinit ſociata tantarum Proſapiarum Virtus? & ijſdem manibus quas perennis Sacramento admouet Amoris, Bona Publica ſtipulatur; eodem Vinculo, quod amantium inſerit cordibus, Fortunam refugam in Communis Patriæ fauorem, captiuat ac trahit. Excurrat iam meritò per ampliſſimas Spes, vel ſolâ WIELOPOLSCIORVM Meritorum memoriâ diducta Patria, quæ illo EQVO prouehente, culmen Gloriæ & Felicitatis toties tenuit. Quocunque Igniti Solis Iugales amicum diem per extremi Orbis limites circumferunt, Gentilitius WIELOPOLSCIORVM SONIPES Generoſo illuc paſſu in Famam euaſit; ſuumq; ac Polonum Nomen æquato ad Solis vias curſu, Orbi tranſmiſit. Sacrum proinde illum optimo Iure Sarmatia, non modo Operum vacatione & campeſtri libertate donauit; Sed pæne ad Æmulam Iſraeliticorum Principum contentionem, qui Phæbi Quadrigas templis intulerunt, tametſi non Aris & Hoſtijs, Trophæis tamen & Monumentis coluit. Subſannet vt lubet aliquis Caligulam Amore Incitati Equi furentem; cui auro argentoque tumentia præſepia, cui Aulam & Miniſtrorum pompam, Conſulatum quoque & Summos Vrbis ac Orbis faſces, indignâ deſignatione decreuerit, neſcio an non rectius à Belluino Principe in belluam, velocitatis ſaltem beneficio commendatam transferendos? Succenſeat Alexandro Bucephali ſui fatis pæne immortuo, qui inſanâ profuſione Parentalia tot talentis empta, Monumentum opere ſumptuque viſendum, Vrbem deniq; nomen amiſſi retenturam, omnium quidem expeditionum ſocio, humana tamen decora non merito, conſecrârit: Poſteaquam ad Inclytum & tot iam ſæculis per immenſa Famæ Spatia Volitantem WIELOPOLSCIORVM SONIPEDEM deflexerit, vltrò poſito ſupercilio non phaleras tantum & leues bullas, ſed Titulos ac Inſignia eidem decernet; nimirum hoc quoq; Munus *Diuinâ palladis arte conſtitit*, ad ſalutem Patriæ, tametſi plerumq; non ſine aduerſi Ilij exitijs natum: Hinc Aiaces illi Martem ſpirantes, hinc cauti Vliſſes, qui Ignibus per hoſtilia ſparſis, Patriam velut Salamandram nutrirent prorupêre. Quorſum Veteres

 oratorio

oratorio impetu sequar flammas, vel ex mortali WIELOPOLSCIORVM cinere, nimis in gloriam ardescentes? Euerberat satis oculos recens illa alibi decennijs petita, hic in Poloniâ biennio expugnata Suecorum Troia, quam æternis confisam niuibus, Vis WIELOPOLSCIANO inuecta EQVO ardere posse monstrauit; dum ILLVSTRISSIMO IOANNE de PIESKOWA SKAŁA WIELOPOLSKI CASTELLANO WOYNICENSI magnorum Consiliorum Mediastino & Administro, Geminas Aquilas armis & animis interim concolores Fioniæ intulit; & Pigram Arcton, nimium suo Polo securam, iactis vbiq; flammis & incendijs, tunc demum Vndas ac Maria quibus conderetur, circumspicere edocuit. Insultabat eo tempore deceptæ SARMATIÆ SVECVS ad hostilia omnia PROTECTORIS titulo intectus & intentus; feliciq; apud credulos & Aquilæ suæ candorem referentes POLONOS dolo, vulcania retia, ac ipsâ subtilitate sensum effugientes nexus tendebat, quêis Martem POLONVM, atq; illam tot Procis petitam Venerem, LIBERTATEM nempe POLONAM laquearet. Nulli pæne domi Lynces, qui Sagacis Consilij Vi, abstrusos fallacis tutelæ ostentatione laqueos penetrare; nulli Alexandri qui coeuntes iam innodum Gordium pedicas gladio dissoluere valerent. Securi omnes candore in errorem desciscente, non modo remediorum vsum, sed malorum suorum sensum, velut occúltâ medicati potione depulerant; eò magis miserandi, quod vltimo admoti agoni, miserias impendentes ignorare sustinerent, & Natiui Candoris simplicitate illusi, atrum ipsimet supremis suis calculum adderent. Vidit tamen Sinonias artes, & obuia statim dolis præsidia prouidit ILLVSTRISSIMVS CASTELLANVS VOYNICENSIS; qui vel Primus vel inter Primos fascinari præstigijs illis minimè passus, *Mutatos* Suecorum *clypeos, Danaumque Insignia male aptata* & hostilibus animis cohærentia agnouit; ac statim ad labentis Patriæ Salutem conuersus, non modo grande momentum reuocandis Legionibus, quæ iam POLONAS AQVILAS LEONI SVETICO submiserant attulit: sed nouos insuper Exercitus, sociandi contra communem hostem belli, ad ROMANVM IMPERATOREM adhibi-

adhibitus Sequeſter, mirâ dexteritate coegit; Atque ita ſuperfuſis SVECIÆ, SARMATICIS Teutoniciſque Turmis & Armis, in veras clades ſimulatum nondum pupillæ POLONIÆ TVTOREM compulit. Quam benè non modo Polonum ſed Mundi totius (quod vaſtâ ambitione coquebas) Dominium. ſpe inuadere potuiſſes CAROLE GVSTAVE? ſi quemadmodum olim Darium Perſam ſuus, ſic te inter vota ac molimina æſtuantem, WIELOPOLSCIANVS SONIPES pronâ ad Orientem Fortunæ Tuæ Solem conuerſione ac hinnitu, Regem ſalutare, ſceptriſque admouere voluiſſet: Sed enim potiſſima hæc Generoſiſſimi huius EQVI gloria eſt, quod campi ac Libertatis retinens, nonniſi eos ſub quorum Vmbrâ creuit IVLIOS aut ALEXANDROS ferat, ac hodie etiam excuſſa alienæ manus frena Armis ſuis oſtentet ac præferat. TIBI SERENISSIME IOANNES CASIMIRE Vni tam nobilis obſequij ſeruabatur Gloria, vt Spes TVAS (pleriſque iam in deuia tendentibus) in WIELOPOLSCIANVM Nomen inclinares, & repetendi Regni conſilia illo EQVO auſpice ordireris. Dyoniſium nondum Siciliæ ſceptris tumentem refert Plinius, fatis maturè ad Imperium proludentibus, futuri Regni omina ab Equi fidelitate traxiſſe; quem tenacis limi vligine hauſtum, cum pedeſter deinceps viator deſereret, ecce velut tædio abſtracti Domini victum, rupiſſe lutea quêis tenebatur vincula, fideliq; comitatu proſequi abeuntem videt; eundem ſubmiſsâ iubâ ad portandum nobilem ſarcinam acclinatum, dum inſcendere parat, circumfuſo repente Apum examine, improuiſam adhuc ſibi Maieſtatem, nouo cingente ſabellitio offerri miratur, & mox Galeotis euentum interpretantibus, ceſſuram audit. Felicem Equo ſuo Dyoniſium, qui obſequij Dominiq; adeo peruicax, altioris Dominij præſagia nec cogitanti tulit; niſi deinde verſâ in Tyrannidem poteſtate, pænitendum vel ipſi quod deſignauerat animali ſceptrum exercuiſſet; Alia apud Nos Nomina, alijs etiam moribus, pari licet ſortis euentu, in felicis Regni auſpicia coiêre; dum exactus Throno ſuo SERENISSIMVS IOANNES CASIMIRVS, inuenit WIELOPOLSCIANVM Sonipedem.

pedem, quem nullus SVETICÆ paludis viſcus intercipere, nulla diuitis & toties oblati metalli tenacitas innectere potuit. Eo humeros ſupponente ad Regnum & Diadema redux, quis neſcit quam obuijs omnium velut Apum Regem ſuum circumplectentium exceptus agminibus, deſtinatum fatis abſceſſum Triumphali regreſſu pensârit? Apes profecto fuerunt, redeuntes ad obſequia deſertæ nuper MAIESTATIS, EXERCITVS POLONI PHALANGES, quæ aliquantùm per glaciata SVETICO gelu auia palabundæ, ad dulcem tandem REGALIS MANIPVLI Iuncum ILLVSTRISSIMO CASTELLANO WOYNICENSI moderante, inſitâ Reuerentiâ trahente rediêre, & in Callidum deinceps Eluſorem, acrioribus aculeis pugnauêre. Nemo abhinc miretur, ſi MAIESTAS REGIA potiſſimas regnandi curas cum ILLVSTRISSIMO CASTELLANO partita, maxima conſilia illius lance librari, illius arbitrio ſidere, ſi ampliſſimi Imperij molem ad exactæ eius prudentiæ normam componi, & Regalium virorem Faſcium, Ipſamq́, adeo Regum quieti delectam VARSAVIENSEM Arcem, fidei ILLVSTRISSIMI CASTELLANI credi voluerit: Perennat in Corde SERENISSIMI REGIS dulcis WIELOPOLSCIANORVM OFFICIORVM ſenſus, tot conſtantiæ experimentis conſtantem amorem emercatus; Hæret infracta periculis, intacta hoſtilibus donis Virtus, eodem obſequentis animi tenore, per læta & aſpera MAIESTATEM comitata, Vnde nuſquam ſecurius FASCES ſuos Florentemq́; MANIPVLVM deponi poſſe ſperauit, quam in eius ſinu, qui Gentilitium PEGASVM ſicut repetendo REGNO aptauit, ita adeundæ quoq́; libens commodat & aurigatur PERENNITATI. Accedis ad Paternæ normam Virtutis, & faſtigium Gloriæ ILLVSTRISSIME DAPIFER REGNI Neoſponſe, à primis ſtatim annis in Paternæ Mentis ſimulachrum natiuo impetu compoſitus, & illo duntaxat IOVE Parente, minor Hercules. Idem Tibi animi Vigor, ad excelſa & ardua ſueto iam Heroibus tractu, per ipſam rerum difficultatem aſſurgere; Idem Iuuentutis Tuæ Circus & ſtadium, WIELOPOLSCIANO SONIPEDI

iam diu

iam diu tritum, per fidem & obſequia Maieſtatis, per curam & negotia Reipub: in Præſentium Gloriam, Futurarum ætatum memoriam eniti. Adhuc primo ætatis pubeſcebas flore, & iam Magnæ Satelles Famæ, Orbem circumibas, dubito noſcendus ne magis an noſcere cupiens? qui mirâ reciprocatione, in ijſdem nationibus, è quibus futuræ alimenta legebas prudentiæ, Veſtigia eiuſdem ac teſtatiſſimæ Virtutis exempla relinqueres. Delatus deinde ad Patriæ gremium, contrario illis more, quorum Annos ſegne otium ſepelit, & præcipites Iuuentutis igniculos, luxus extinguit, Viuaci ſtudio in publicas curas incubuiſti; eo videlicet modo abſentiam TVAM quâ per exteras inclytus gloriæ Propola ferebaris diutius gentes, tædenti Patriæ per commoda eiuſdem penſaturus. Ita mox erectis ad Nominis Virtutiſq; TVÆ Famam cunctis, dignus viſus es, qui ſupremam conſiliorum publicorum Vrnam, factus Generalium Comitiorum MARISCHALCVS, arbitrâ manu verſares, & Totius Regni ſortes ſummo calculo ſignares. Non hic iam laus TVA ILLVSTRISSIME DAPIFER à priuatis petenda calamis, quam ipſius SARMATICÆ AQVILÆ pennæ, in maximâ Regni conuulſione ſaluatæ, Vulgant ac efferunt: non ex vmbratilis, inq; ſuæ duntaxat ſolitudinis ſolatia vocalis ſuadæ Cenſu, æſtimanda venit PRVDENTIÆ TVÆ Felicitas, quæ publico præconio Noſtras ac Exteras Prouincias percurrit. Senſit Reſpub: Dexteritatis TVÆ emolumenta, quæ naufragantem pæne in turbido illo Militaris licentiæ æſtu, ſalutis ſuæ Nauim, TE Nauarcho & Conſiliorum Præſide, innoxio tractu ad portum appulit: Senſit diſcerptum miſerè Regni huius Corpus, quod è tantâ diſſidentium inter ſe Ordinum luctâ, velut pugnantibus de vitâ Elementis, ad debitam ſeſe tandem temperiem, & qualitatum ſymmetriam, TE Æſculapio medente reduxit. Fuerit ſane quondam Fatale Nomen Equus Seianus, poſſeſſoribus eiuſdem omnibus triſti exitu conſumptis; non mirum calamitates & fata conſecuta animal, quod ab Equis Atrocis Diomedis humano cruore paſtis, (teſte Gellio) Originem trahens,

hens, fata hominum quibus innutritum eſt ac creuit, ad Dominos etiam transtulerit: Fortunatus certè PATRIÆ NOSTRÆ WIELOPOLSCIORVM EQVVS eſt, qui mitiſſimo genio, extra tabum & ſanguinem, non iniuriis cuiuſquam ſaginari, verùm ad priuatos & publicos vſus, opportuniſſimâ ſui diſpenſatione flecti & porrigi nouit. Reſpiciunt ad illum intenta omnium ſtudia, & quemadmodum felicitatis ſuæ ſigna ab illo ſidere petunt, ita communis propriæque ſpei ſarcinas, felici credulitate in hunc baiulum tranſponunt. Germanis nullum olim Diuinandi genus ſanctius fuiſſe, auctor eſt Tacitus, quàm quod ex curſu, motu, ſpecie & voce Equorum, quos ſacros gregatim alebant, conquirerent; *Germanorum proprium* (inquit Magnus Politicæ Prudentiæ Magiſter) *Equorum quoq; præſagia ac monitus experiri, publice aluntur ijſdem nemoribus atq; lucis candidi, & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru ſacerdos aut Rex vel Princeps Ciuitatis comitantur, hinnitusq; ac fremitus obſeruant. Nec vlli auſpicio maior fides.* Credite SARMATÆ inter plurima quibus abundatis Fortunæ inſignia, magnum Gloriæ VESTRÆ Omen & incrementum à WIELOPOLSCIANO Venire EQVO; qui quoties vim & Virtutem ſuam, publicæ ſalutis iunxit eſſedo, toties nullo iniuriantis Fati obice, ad ſummum Gloriæ & Proſperitatis apicem Patriam prouexit. Verùm mihi veſtigia WIELOPOLSCIANI PEGASI per Sarmaticos Orbes alite paſſu volitantis, gratiſſimo ſpectaculo relegenti, occurrunt interfuſa COMITVM in LIPTOW & ORAWA TERNA FLVMINA, orationemque rudi hactenus decurrentem cothurno, placidiſſimo alueo excipiunt. Felices Lymphæ, & Regnorum ſaluti natæ, quibuſque plus Patria quam ſuo Nilo Ægyptus debet! vt pote quæ ſub KOMOROVII ſanguinis auſpicato irriguo, effætam ſenectutem in Magnorum ſemper Virorum prouentus explicat: Felices! quarum glorioſa eluuies, non modo Gentes & Populos, rerum geſtarum claritudine inundat, verùm Supremo in terris ſuperfuſa cacumini, vltra Tyberim aſſurrexit; dum in PAVLO IV. PONTIFICE de gente CARAFARVM ſub eorundem Fluminum auſpicio natâ, ad Vicariam Numinis

erecta

erecta PETRAM, ſalutari flexu Orbem totum circumiit. O quot ex his quoque FLVMINIBVS Dii Præſtites ad Orbis ſalutem emerſère! Quot fortiſſimi Achilles felicius Gentilitijs KOMOROVIORVM vndis tincti, quam olim ſuum Thetys ſtygiâ palude luſtrârit, Regnorum tutelam, imperuio omnibus Fatorum telis ictu ſuſtinuêre! Gemuiſſet diutius iniucto quondam Tyranni iugo preſſa PANNONIA, niſi Magnus ille CHRISTOPHORVS de KOMOROW (qui primus TERNA quæ perſequendo Tyrannum felici auſu ſuperauerat FLVMINA in Familiæ ſuæ Decora intulit) oppreſſorem vitâ, oppreſſos ciues ſeruitute exemiſſet; & paruâ Militum manu ingentes occupans victorias, Libertatem HVNGARICAM in ſanguine Principis ſanguinarij fundâſſet. Succubuiſſet numero & robore hoſtibus inferior MATTHIAS eiuſdem HVNGARIÆ Rex, niſi reſoluta PETRI KOMOROVII Fortitudo, paucitatem Hungarici Exercitus virtute ſupplêſſet, & in obuia quæque hoſtium ruens agmina, totas Legiones in vno PETRI Capite, pulchrâ Virtutis auxeſi produxiſſet. Atque hinc Venerandum diutius toti PANNONIÆ KOMOROVIORVM NOMEN, non modo in Gloriam illìc, verum opulentiam aſſurrexit; certantibus Populis ac Monarchis, vt quæ in Regni tutamen tanto adniſu incumberet Virtus, in commodorum quoque ſolatia veniret. Reſplenduit mox iubente Coronæ HVNGARICÆ Senatusconſulto, COMITVM in LIPTOW & ORAWA titulo magnus ille CHRISTOPHORVS, ſeptem quoque Arcium perenni hæreditate donatus: Prouexit altius Gloriam Familiæ & opes PETRVS, non modo Caſtrorum NAGHVAR, LIVKA, & GRADEK acceſſione, à memori partæ victoriæ MATTHIA ornatus, ſed tantâ vbique meritorum famâ, tanto Principum Virorum Amore ac veneratione circumfluus; vt STEPHANVS PALATINVS MOLDAVIÆ vltrò; in Iura Fraternitatis vocatum, dato ad ſæculorum memoriam Diplomate, non alio quam Fratris titulo & honore excipi, & cum Totâ Poſteritate nominari voluerit. Hæc KOMOROVII Sanguinis per PANNONIAS Gloria, & Potentia tam diu prono Fluminum ſuorum excurſu reſtagnauit, quamdiu Patrius in POLONIAM Amor, ad

 congeni-

congenitæ fidei metas eandem non retraxit; rupto enim cum POLONIS fœdere, CASIMIROQVE Procerum vocatione ad capeſſendum Regnum Hungariæ properante, nullæ opes, Arces, Regiones, KOMOROVIOS Lechico ſanguine, Lechico imbutos ſpiritu attinere quiuerunt, vt toti Pannones eſſe & Patriam exuere vellent: Arma, Fidem, Natiuo Principi addicunt; eundemque iniquitate locorum à pluribus circumuentum, in ipſis Hungariæ Dono acceptis Caſtris, contra Hungaros fortiter propugnant. Semper quidem Conſtantia laudem, non ſemper tamen parem auſis ſuis exitum inuenit; & rigor ille infracti animi, obliquo interdum Fatorum rigore percellitur; quæ non tam reſpicere ad rerum & bellorum cauſas quam eaſdem abſtruſo ordine pertexere norunt. Steſſetis hactenus Opibus & Famâ per HVNGARIAM diffuſi COMITES in LIPTOW & ORAVA, niſi Fortuna à CASIMIRO ad MATTHIAM æmulum transfuga, meliorem cauſam ſiniſtro belli exitu damnaſſet; & victor ſucceſſu elatus, nimiumque ſui Sanguinis & Patriæ memores KOMOROVIOS intra HVNGARIAM diutius timens, eoſdem Auro & Nummis, quia ferro nequibat & Armis, ab vtroque COMITATV dimouiſſet. Sed enim circumfert Virtus vti pretium ita æſtimationem ſui; & quemadmodum vbique Theatrum & Arenam, ſic etiam Plauſum facile reperit ac brauium. Refudit abunde POLONIA raptricis HVNGARIÆ damna; & KOMOROVIOS quos ſeruata Fides COMITATIBVS illis (præter tres reſiduas Arces NAGHVAR LIVKA & GRADEK) exuerat, CASIMIRI liberalitas Territorio ZYVECENSI decorauit, ac Nobile illud Germen, velut poſtliminio reuocatum Patriæ inſeuit. In Magnum iam hic funduntur æquor GENTILITIA KOMOROVIORVM FLVMINA poſtquam natiuum SARMATIÆ nacta ſunt campum: non capit aſſurgentem per egregios Magnorum facinorum auctus Virtutem, Triplex licet Alueus; adeò omnes ſupergreſſa ripas, inclyto laudum æſtu populos inundat. Et quis niſi Icariâ temeritate, daturus nouo ſua nomina Ponto, Præcipitis calami remigio, laceſſere audeat tam vaſtum pelagus? Siſtam ego in littore, neq; pericu-

loſo

loſo tentamine in altum prouectus, Indigetibus Fluminum iſtorum Diuis, paucula liba, è Magnis Gloriæ hauſta Vorticibus deuotâ inſpergam manu; Heroaſq; duntaxat illos quos propior nobis ætas, recenti altius populorum infixit memoriæ, ſuæ innantes Gloriæ, index magis quam laudator, in ſpectacula producam. Effert primum ex inclyto Famæ gurgite Caput, Proauus ILLVSTRISSIMA CHRISTINA Tuus CHRISTOPHORVS OSWĘCIMENSIS ante, mox SANDECENSIS CASTELLANVS, tantâ virtutum luce conſpicuus, vt Pharon publicam exhibeat, intentis ad prenſandum vellus aureum Argonautis, inconniuo oculo tuendam. Optimo ille temperamento, Conſilium Viribus ſociauerat; & in Themidis ſacrario, Bellonæq; pariter exercitus Circo, Æſtimationem ſui apud Vernas longo rerum vſu, Formidinem apud hoſtes Fortitudine propagârat; per ſubſellia æquè ac Prælia, Prudentiæ vel Audaciæ laude noſcendus. Sed nihil felicius ad promiſcuam mundi ianoſcendus. Sed nihil felicius ad promiſcuam mundi iactantiam Heroem illum tranſmiſit, quam Fides & incorruptum erga Dominantes Obſequium, hereditariâ pæne Domui KOMOROVIÆ dote Regibus probatum; in illa enim turbulentâ Sarmatiæ vertigine, quâ pleriq; SIGISMVNDO Regi iniqui temerarijs manibus aduerſus proprium Caput depugnârunt, indiuiſus Principis aſſecla, audacter meruit in caſtris iuratæ Fidelitatis; & coactis in ſuffragia Maieſtatis aliquot peditum centurijs, concolorem niuibus ſuis (quæ iam grandæuum intexerant) animum, Cracouiam ad ſereniſſimam CONSTANTIAM Reginam attulit: ætate quidem & Corpore defectus, ſed mente validus & iuuenili ardore ad ſueta Fidei exempla nitens, ſupremumq; illum qui in pallido adhuc reſtabat corpore ſanguinem, næ Regales Purpuræ ab indigno aduerſariorum pallerent afflatu, taminatæ Maieſtati Sacrare paratus. Eadem mens Filio NICOLAO OSWIECIMENSI ET NEOFORENSI CAPITANEO, Paternæ Virtutis tincturam, cum generoſo cruore traducem, per omnes ætatis gradus pretinens; & in Regni ac Regis vſus, pulchro conſtantis animi libramine, quâ neceſſitas egit, ſeſe partiens. O quot ille

ille bellis proprium iuxta ac hoſtilem ſanguinem Patriæ litauit! quot prodigis ſumptibus, dum Maieſtatis obſequio aduigilat, Fidelis ſubditi gloriam emit! Loquitur hodieq; NICOLAVM domita auſpicijs IOANNIS ZAMOSCII, KOMOROVII Vero Robore proruta MOLDAVIA; inſtratiq; latè rebellium oſſibus DACIÆ campi, triſti adhuc cadauerum albentes rigore, adpalleſcunt Nomini per Hoſtium mortes in Viuam poſteritatis gloriam creſcenti. Loquuntur eundem madidæ tabo VALACHORVM MOSCHORVMQVE Prouinciæ, ZAMOSCII pariter Ducis inuicto animo, KOMOROVII forti manu ad frena vocatæ; & in vaſtis illis, quas Victor gladius cæſo habitatore fecit deſertis, oſtentant ſanguinei Veſtigia Cataclyſmi, à Patrijs KOMOROVII Fluuijs, in meritas gentes prolati. Quid antiqua retexo? & Stratonis illius à Lilybeo, Carthaginenſium naues portu egredientes, per tot maria lyncei viſus beneficio percenſere ſueti, inanis æmulus, Vagam aciem in tantum KOMOROVIANORVM Decorum æquor proijcio? exactarumq; metas ætatum, ſuperfluâ diligentiâ veſtigo? cum præ manibus hœreat, Illuſtriſſimus CHRISTOPHORVS COMES à LIPTOW & ORAWA, OSWIECIMENSIS & BARWALDENSIS CAPITANEVS, Tuus Illuſtriſſima Neoſponſa Parens, non modo domeſticæ Virtutis ſummam ingenti animo complexus, ſed pleroſq; eorum quos popularis magis plauſus, quam proprij decoris cenſus Famæ conſecrat, Geſtorum eminentiâ ſupergreſſus. Eadem pæne illi Fortitudinis quæ Vitæ fuêre rudimenta; & anni non minus ad Virtutum quam ſiderum curſum ambitumq; exacti. Vix puerilis ætatis gemmantes pampinos in primæ Iuuentæ florem protruſerat, & iam domeſticis indignatus clauſtris, Orbem, Arenam, Prælia, nouus in tenerâ ætate Alexander circumſpicere, iam terras & acies, in theathrum explendæ Magnanimitatis deſignare. Opportunè vero campum aperuit ardori Iuuenis, per imagines bellorum toto impetu errantis, Patriæ ſtatus, inopinis GVSTAVI SVECI armis concuſſus; qui exutâ Pactorum religione, cognatiq; SIGISMVNDO Regi ſanguinis reuerentia,

rentia, truci Exercitu PRVSSIAM inundârat. Illùc Martio æſtu rapitur, & Geminas ſimul Haſtatorum, velitumq; cohortes ære proprio auctoratas, rapit KOMOROVIVS; GVSTAVVMQVE Illum Balthico mari metuendis claſſibus inſultare auſum, næ vlterius progredi poſſet, Vi & interiectu Gentiliorum Siſtit Fluminum. Vidit tunc PRVSSIA rediuiuum in Illuſtriſſimo CHRISTOPHORO Scipionem Africanum, qui primâ adhuc lanugine pubes, contra Sueticum Annibalem tot Victorijs inſoleſcentem, non iam medio foro (vt alter olim) ſed campo gladium ſtrinxit, & Vinci veteranum poſſe, induſtriâ manu Tyro probauit: Vidit redditum terris, pulchrâ Virtutis arte LYSIMACHVM, qui BOREALIS LEONIS auidos rictus in prædam Poloniæ hiantes, toties eliſit & præfocauit. Nec ſolus duntaxat SVETICVS LEO, Victrici fortiſſimi illius Herois ſuccubuit dextræ, aut pigra Arctos gelu durata ſuo, ad Iuuenilem CHISTOPHORI ardorem contabuit; tranſtulit ille mox ab Aquilone in Orientem Victricia arma, OTHOMANICAMQVE LVNAM aſtuta circumplectendo Orbi Plenilunia molientem, ad turpes Eclypſes non herbis & diro carmine, ſed Ferro & Ferali cantu adegit; dùm tumentem octuaginta Millium copijs ABASSIVM, Magno illi aſſociatus KONIECPOLSCIO, inter feſtiuos tripudiantis Cantilenæ numeros, infeſtis armis ſine numero cecidit. Æſtimet Orbis quantas Lauros (nî fata obſtitiſſent) occupare poterat Matura, & Virili robore ſolidata KOMOROVII Virtus? quæ inter Iuueniles iocos, tantos Exercitus Ludendo profligauit. Hoc tanto tamq; celebri Parente in mundum edita, hauſiſti Geminam Solis ac domeſticæ Gloriæ lucem, ILLVSTRISSIMA CHRISTINA CONSTANTIA; quæ in Te tanquam limpidiſſimo collecta ſpeculo, ſplendidioribus radijs Orbem incolorat. Tibi tot ætatum & Heroum ſudauit labor; Tibi à primâ ſcaturigine KOMOROVIANORVM FLVMINVM Ternio, pleno Virtutum & Honorum labens alueo, pulcherrimam tot Decorum deuoluit hæreditatem: næué vlla Mundi pars extet, quæ Nominis Tui dignitatem ignoret, acceſſit Paternis DA-

NVBIO, SAVÆ, & TIBISCO, Quartus ad Orbis admirationem SRZENIAVA, cum Materno Sanguine totam PRZYŁĘCIORVM Gloriam, generoso pectori importans. Habes in hoc quoque Flumine, quod per grata sæculorum præconia spargas; vel sola enim Aui HERMOLAI memoria, per omnem vitæ decursum ense & sanguine Gloriam propagantis, tantos præclarè gestorum fundit latices, vt illis exhauriendis, nulla eruditi calami felicitas, nulla fastorum sufficere queat vbertas. Ita nouum quendam in Teipsâ Paradisum exhibes, dum Quadripartiti Mundi spectacula, QVATERNIS KOMOROVIÆ PRZYŁĘCIÆQVE Gentis FLVVIIS distines, & transparentia per illimes vndas, vtriusque stirpis Decora, compendio vibras. O quantus sub tam copioso irriguo Virtutum Tuarum creuit Honos! quàm felici propagine Paradisus iste fœcundum Ver explicuit, in omnigenos Pietatis, Modestiæ, Pudoris Flores, gratissimo germine erumpens! Sed nihil æquè Mirabundos Orbis prouocat, atque illud, quod Tuos maximè demittit oculos, Candidissimum Virginalis Innocentiæ Lilium, vt pote Liliatâ SERENISSIMÆ REGINALIS MAIESTATIS Manu consitum. Illa Tuos annos Parentum solatijs orbatos, Maternâ complexa curâ, consono LILIIS SVIS ac REGALI AQVILÆ Candore imbuit: Illa indita à Magnis Parentibus, sed fato intercipiente, nondum maturata Virtutum semina, Palatino Sole, & Augusti Vultûs radiis, ad totius Sarmatiæ plausus ac stupores, efforuit & formauit. O Fortunata vel eo solo nomine CHRISTINA! quod inter felicissima pasta LILIA, à Cultrice tantæ Reginæ manu, totam attraxisti Virtutum Floram. Fuerit quondam Magnorum Principum delicium, Triumphales manus Hortis & Floribus commodâsse; allibuerit Cyro digestas per ordinem stirpes in Ecbatanis, Diocletiano euanida Olera Salonæ, Carolo Quinto Cæsari, dehiscentium Florum caliculos in Hieronymiano Cœnobio, Imperatoriâ dextrâ coluisse: SERENISSIMÆ MARIÆ LVDOVICÆ, in alijs Hortis, inter animatos Flores quæruntur solatia; quos dum Maternâ pietate colit, Regali munificentiâ irrorat, quis edisserat?

ſerat? quàm lætos Poloniæ Elyſios, quàm aurea Heſperidum Pomaria aperit? Quot pulcherrimæ Mentes Pupillari afflatæ Vredine, inter anxiæ egeſtatis ſqualores deperirent, niſi Auguſta hæc Regina in ſua tranſplantatis Palatia, nunquam deficiens Ver NATIVIS LILIIS aſpiraret? Quot ingenia maioris fortunæ capacia, ſed domeſticis interim Sordibus preſſa, abſq; Patrono, incuriâ, & ſitu langueſcerent, niſi Munifica SERENISSIMÆ LVDOVICÆ Manus, iniquitate ſortis circumuentos, publico ipſorumq; bono, aleret ac educaret? Ægyptum Herodoto referente accepimus, ſi quando ſuetâ Nili deſtituatur fertilitate, Lilijs quæ Lotos Vocant, paſci, & non modò ad propulſandam famem, Verùm in delicias vſque (gratiſſimo nimirum ſeminum ſi terantur ſapore) ſuſtentari: non ſola deinceps tantùm LILIIS debebit Ægyptus, conſpirat vltrò in eaſdem perennis obligationis leges Vniverſa Sarmatia, quæ LILIATÆ REGINÆ Muneribus affatim vſa, poſt emarcidos Martis infeſti ſqualores, lætiorem ſuccum hauſit, haurireq; non deſinet ac vigorem. Tám felicium Alumna LILIORVM, dùm hodie Virgineum Candorem & Liliatis parem niuibus animum, ad purpuream Roſarum ſimul & Amoris tranſfers Parentem, quid nos optati Connubij feſtiuæq; Pompæ Spectatores, niſi MANIBVS DEMVS LILIA PLENIS? Expectat longo Amore Saucius ILLVSTRISSIMVS REGNI DAPIFER SPONSVS, Vitæ Fortunæq; ſociam, cum quâ Animum & Magnæ Domus Gloriam partiatur; ac poſt amiſſæ ANGELÆ illius damna, quæ Nomen & Mores à puriſſimo Cæleſtium ſpirituum cætu mutuauerat, feliciori CHRISTINÆ Nomini, vtpote ab ipſo Mundi Seruatore deducto lætus adblanditur. Diuturnum ille vulnus, lethali in ſuâ ANGELA crudelis Libitinæ ictus telo pertulerat, & alterius etiam ſagittarij Amoris ſpicula perculſo ſemel corde declinabat, ruptiſq; primi Coniugij indignabundus affectibus, præcocem Viduitatem verſo ad Primiceriam Virginum affectu, (cuius Nazarenam Domum piâ deuotione inuiſerat) ſolabatur: Nunc pulcherrimo Virtutum Tuarum captus illicio, contumacem erga Amores à morte funeſtatos Conſtantiam, ab ILLVSTRISSIMA

CON-

CONSTANTIA peruinci patitur, obrutosq; mortuali cinere Coniugalis Affectûs ignes, Tuæ innocentiæ Morumq; flabello reaccendit. Ergò subi Inclytæ Domus Tecta, Purpuratâ Maiorum Serie spectanda, & ipsa futuri Mundo spectaculi Magna portio accede; Patriæq; expectationem, SPONSI desideria, Bonorum Vota, eximij Decoris additamento imple. In Te suos læta tantorum nexu Siderum Polonia defigit obtutus, & à Pronubis optati Connubij Tædis, non dubiam melioris fortunæ lucem auguratur. Quidquid exactæ ætates in forti & Bellatrice WIELOPOSCIORVM ac COMITVM à LIPTOW progenie, Magnum & Mirandum attonito suspexêre oculo, id totum, certâ spe, in Vobis ô DILECTVM SPONSORVM PAR occupat, & nouo gloriæ augmento refundendum appromittit. Reddetis Mersæ desiderijs suis Patriæ, Prudentissimos Senatores, Inuictos Duces, pios Ecclesiæ Protectores, & diù per Curules Trabeasq; Regni Poloni, Meritis prouehentibus circumlati, eousq; Publicam integritatem Magnarum Familiarum humeris sustentabitis, donec annorum numero Parcarum, labores, Gloriæ Monumentis, Fastorum, doctiq; calami affluentiam lassetis.

DIXI.



ZYCZLIWE MVZY

Odſtapiwſzy Párnáſſu y zrzodeł od PEGAZA *wywiedzionych*
Nád Herbownymi Hrábiow z Oráwy y Liptowá Rzekámi
Sławę Oblubieńcow y weſołe Pienia
Wyśpiewuią.

Tam kedy ſie ku niebu pnie Párnás wyſoki/
Y dwoiſty bárk wznosi/ pod ſáme obłoki/
Wypada piekne zrzodło/ miedzy geſtym cieniem
Vczone wody leiac bogátym ſtrumieniem/
Ktore lotny PEGAZVS niegdy wyprowádził/
Gdy byſtropiora ſtopa o Párnás záwádził.
Tu gdy Mądre nád miłym ſzumem śliczney wody
Záżywáia weſołey KAMENY ſwobody/
Gdy w przeźrzyſtym kryſztale czyſta noga brodza/
A nieſtroione Lutnie do Rymow záwodza/
Obaczą w Polſkich Polách TRZY RZEKI wſpienione;
Obfitam KOMOROWSKICH ſława wypełnione
A te gdziekolwiek wdziecznym kołem oblewáia/
Martwe ſie polá w Nowa Wioſne przybieráia.
Tám w zieloney rowninie KON ſwobodnym krokiem
Nád onym RZEK zbuiánych przechadzał potokiem;
KON ktory WIELOPOLSKICH Cześć zdawná piáſtuie/
A rowno z woźnikámi Słońcá poſtepuie.
Ná tego Miłość złotym wedźidłem z ſchadzálá/
By go od RZEK ſzcześliwych wolność nie ſpłaſzálá:
Y widáć było w kwieciu roſkoſznym zákryta/
A tá vzdeczke trzyma z lubych wdźiekow lita/
Y z cieniá ſie powoli ná chcacego ſkrada/
A munſztuk mu przyiáźniey dożywotney wkláda.
Po RZEKACH roſtrzelone pochodnie świecily/
Ktore wdźieczne CHARITES Miłościa zákryły;
Sámo ná bliſkich drzewách Ptáſtwo roſsádzone
O Miłości śpiewáło/ Miłościa dotknione.
Pátrzáły z Gor wyſokich MVZY ná te dźiwy/
A w zádumiáłych vmyſł mieſzał ſie bledliwy;
Y iuż im Hippocrene ſłodka nie ſmákuie/
TRZEMA RZEKOM Cyrrheyſkie zrzodło vſtepuie/

Táka do nich chec máia / że podáć wzámiáne
Chca zdroie Pegázowa noga wykopáne.
Wiec z Madrey zßedßy Gory / ná piekney rowninie
Zásiádly gdźie TROISTA RZEKA HRABIOW płynie;
A iák wod cukrowánych sława / skoßtowáły
Tákie w ten czás ná Lutniách Pieśni wygrawáły /
Ná ktore y ßum w láśách / y Ptástwo wrzaskliwe
Zámilkło / Wiátry náwet vćichły burzliwe.

WEsole Niebá ktore ták gestymi
Ná świát nadobny oczymá pátrzáćie /
Gdy sute Sfery gwiazdámi ślicznymi
Ná nocna wárte w ßeregách stáwiaćie /
Teraz z ogniámi sadźćie sie swoimi
(Jeżli o ziemskich Mießkáńcow co dbaćie)
Gdy zwiazek wieczney krepuie Miłośći /
Domy bogáte w sławe y Godnośći.

Rzadko od Pániey tey ktora ßáfuie
Slubna przyiáźnia / y Małżeńskie petá
W ogniu skrytego kochánia nituie /
Ták zgodna Pará Miłośćia iest zieta;
Jáka dźiś w sercách Przezacnych spráwuie
Cnotá: y spolnych áffektow poneta /
IANIE CHRISTINO was rozniesie sława /
Ze miedzy wámi piekna Miłosć stawa.

Day to że kiedyś z Morskiey wypłyneła
Wzburzoney piány / Bogini Miłośći /
A wźietym z wiátrow poczatkiem znáczyłá /
Iż czesto ludzkie Trefunek skłonnośći
Sklija; pewnie sie ná wieczność nie wzbiłá
Przyiaźń: co z tákiey pochodźi lekkośći /
Was stały vmysł / y Diámentowy
Wpráwił w kochánia wiecznego okowy.

Niech indźiey swoim Kupido pierzchliwy
Zelescem / płoche ánimuße ßyie;

Niech

Niech zarząc ogień Miłości troskliwey
Ołownym grotem w glupie sercá biie/
Tu Cnotá Affekt stánowiąc życzliwy/
Látá wdzięcznością przeplátáne wiie:
O SLICZNA PARO! odtąd z złotey przędze
Przychylna Párká dni wáße prząść będzie.

Y ták w wiek spolna vćiecha słodzony
Poydźiećie/ w ktory was chwałá z godnośćią
Prowádźić będźie/ żywot niesprzykrzony
Potrzebna źiemiom cukruiąc płodnośćią/
Y szczęśćia sámey doydźiećie LATONY
Z Applauzem świátá/ z inßych Nimph zazdrośćia
Gdy swego czásu oświecone progi/
Ze krwie ták zacney zágęśći wnet mnogi.

W Potomkách wáßych sámá odmáluie
Náturá/ Przodkow záwołánych dźiełá/
Y tą ich sercá Cnotą záfárbuie/
Ktora się w słáwnych Rodźicách świećiłá;
A świát z chwalebną poćiechą vczuie/
Ze tá krew nigdy Glancu nie strácilá/
Ktora od Polskiey pierwiastek korony
Wydáie Mężnych Synow do Obrony.

Nie tylko przeßłe ták ßczęśliwe były
Wieki/ y w zacne zbogácone Męże/
Ze tyśiącámi Cnych Synow liczyły/
Ktorych ták słáwá dáleko záśięże
Ják Dźień Słoneczne kołá zátoczyły/
Y dotąd Cnotá w tych się Gniazdách leże/
A WIELOPOLSKICH y HRABIOW z ORAWY
Potomek/ dáwney nie vchybi słáwy.

Jeßcze go będą kolebki piástowáć/
Juß wielkie krzesłá Godność mu wystáwi;
Cnotá Niebieskich dáiąc mu kosztowáć
Ambrozyi/ vstá Dźiećinne zábáwi;
Pállás niezechce pieluch odstępowáć/

Aż Młode látá wczás w Mądrość záprawi/
Że miásto Mleká nauką poione
Ná zysk Oyczyzny stáną wycwiczone.

Idźcież Miłości nowey Hołdownicy/
Poddaycie pod iey iárzmo młode látá;
Przy spolney Pciech Małżeńskich słody/
Poki wiek służy záżywaycie świátá;
Okropny smutek/ y cokolwiek liczy
Nieszczęście złego/ niech się tu nie bráta
A Smiech y Rádość przyiemna szeroce
Niech wam dni znoszą szczęśliwych Owoce.

Widzę Fortuná nićia tkáne złota
Wam/ y Potomstwu/ Purpury gotuie;
Sławá skrzydłásta przybyłna ochota/
Pod Niebo z wászym Imieniem wzlátuie;
Y Párká sámá vwáżna robota
Długie wam látá w kłab żywotni snuie:
Ták w Wiek/ y Godność/ bogáci y sławe/
Zádaćie piorom vczonym zábáwe.

Tákim ná ten czás Muzy báwiły się pieniem/ (niem
Siedząc nád wdzięcznopłynnym pełnych Rzek strumie-
Bliskie lásy odbitym głosem poświadczáły/
A chyląc w tákt gáłąski/ iákby skákáć chćiáły:
A' wtym się noc czarnymi wymknawszy skrzydłámi/
Powlokłá okropnymi ziemie ćiemnośćiami;
Y sprácowáne ludzie snem smácznym skropiłá/
A powszechny milk w świećie vśpionym spráwiłá.
Tám się dopiero HYMEN pochodnie roświećił/ swe.
Ktorymi wieczną Miłość w OBLVBIENCACH niećił.

